



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Qvid sit amor, Cap. 1

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

T D I O T Æ,
 Viri docti & Sancti,
 CONTEMPLATIONES
 De Amore diuino.

C A P V T I.

Quid sit amor.

AMor (dulcissime Domine Iesu
 Christe, fons veri amoris) est
 affectio vehemens cordis &
 animæ, ac mentis applicatio
 ad aliquid diligendum: incli-
 nat enim amor amantem. Ne-
 que enim in hoc laborat, licet labor non
 amantibus gravis sit. Neque difficultatem
 non novit, sed impatiens est, nisi inueniat
 quod desideret; nec aliud cogitat, quam
 quod diligit; nec accipit de dilatione sola-
 tium. Lucerna fulgoris est verus amor, at-
 dens in mente per desiderium, & splendens
 in facie per exemplum. Et hic amor jam nu-
 dus non est & pure naturalis, sed indutus
 fontani amoris radio; jam infusus, jam pur-
 gatus, jam illuminatus & elevatus supra na-
 turæ potentiam; jam patiens, jam formatus;
 qui quum forma est, pure naturalis & per se
 agens informis est, impotens & depressus.
 Amor naturalis, fulgor oculi in tenebris;
 amor infusus, fulgor oculi in lumine, vel
 verius lumen efficax in fulgore. Amor cete-
 ros affectus in se ducit & captivat. Viget
 namque

namque ipse amor, quum præsto est quod amatur, & languet, cum abest: Quod nihil aliud est, Domine Deus, quam tædium quoddam impatientis desiderii, quo necesse est affici mentem vehementer amantis, absente eo quem amat. Natura quippe amoris est, semper amare; proprium postponere, & commune præferre, diversa corda unire, extraneum domesticum facere, corda iracundia ignita extinguere, pacem semper procurare.

2. Amor contracta solidat, depressa suble-
vat, nutantem animum constantem reddit.
Amor docet & addiscit, & inimicum nescit.
Amor laudat, amor reprehendit, amor prava
suspensione caret. Vbi amor defuerit, nihil
valer quicquid agitur; contra omnia valent
quæ cum amore aguntur. Amor hominem
lætificat, & à terrenis subleuat. Amor nun-
quam est otiosus, sed semper aliquid opera-
tur, semper crescit & augetur. Amor vita est
animæ: & qui non amat, mortuus est. Ve-
rus amor non requirit præmium, etsi merea-
tur. Sine amore nec eleemosynæ largitio,
nec martyrii susceptio, nec aliquorum bo-
norum operatio proficere ad habendam
salutem potest. Amor hominem perficit;
omnia sustinet, omnia patienter portat.
Amor facilis res est, omnibus se exhibet, nul-
li se negat. Capit eum bonus & malus, ju-
venis & senex, vir & mulier, sanus & infir-
mus, dives & pauper, summus & infimus,
liber & servus, secularis & religiosus, debilis
& fortis; nec est qui se valeat excusare, quin

in alios dirigit radios puri amoris. O amantissime Domine Iesu Christe, unde omnis defluit amor, ego sceleratissimus peccator semper frigidus fui, & ab amore multipliciter elongatus; singularis fui & sequestratus, ac sine amore & delectatione degens; adeo quod frequenter etiam vixi cum odio & similitate. Adjuvare ergo me digneris per tuum dulcissimum amorem, & accendere cor meum ad amorem tibi placitum; ut amem & diligam, quæ amare & diligere debeo: ut viam amoris in te amando consequar sempiternam, Amen.

CAPVT II.

Vnde oriatur amor Dei.

O Ritur amor (dulcissime Domine Iesu Christe, fons veri amoris) velut lachrymæ, quæ ab oculis in pectus cadunt: quia ab intellectu amor oritur, & cadit in cor per fidem. *Sic Sancti per fidem vicerunt regna!* Fides enim sanctissimum bonum est humani pectoris; quæ nulla necessitate ad fallendum cogitur, nec ullo corrumpitur præmio, sed est firmamentum stabilitatis & constantiæ in animo. Oritur amor à gratia Dei Patris, sicut tu Domine Iesu Christe amantium vita dixisti: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum: scilicet per gratiam, ad mei amorem.* Intrat vero amor mentem hominum per auditum aurium. Quia dum de aliquo bona aliqua audiuntur, ex ipso auditu concipitur amor in corde audientis, ad diligendum illum. Oritur amor per locutio-

nem